

in Prologo ad Psalmos, num. 18. *finem* esse ait, *cujus causa cetera sunt*: finem vero nominis *consequitionem Bonorum Aeternorum*, quum in his nullo ulteriore tendens *procursum, ipso suo optata & adeptæ Beatitudinis sine Requiescat*. Tractatu quoque in Psalm. xiv. explicans ea Psalmistæ verba: *Domine, quis habitabit in Tabernaculo tuo, & quis Requiescet in Monte sancto tuo?* Tabernaculum interpretatur Ecclesiam, *Requiem* vero in Monte, Christum in Coelis gloriosum. Si ergo, ait, *Requiei nostræ spes omnis est in Christi corpore; & quum in Monte sit Quiescendum, Montem non aliud possumus intelligere quam Corpus, quod suscepit ex nobis &c. Ad illud enim post habitationem Ecclesiæ scanditur; in illo in Domini Sublimitate REQUIESCITUR, in illo cum Angelorum choris (quum & nos simus Dei Civitas) sociabimur.*

Porro dubitationi cuiuscumque Sanctus ipse Vir aditum præcludit, quum in Sinu Abrahæ *Quietem* quidem, sive *Requiem* statuit, sed *Beatam*, sed *Aeternam*, uti vidimus. Si *Requies* illa in Sinu Abrahæ non solum *Beata* est, sed etiam *Aeterna*, hoc est semper duratura, namquam cessatura: ergo nihil aliud esse potest, nisi *Cælestis Animarum Beatitudo*, & felicissima illa *Requies*, de qua Apostolus ait: *Festinemus igitur ingredi in illam Requiem*. Rursus si *Aeterna* est, etiam si supremi *Judicii* dies adveniat, perget *Anima* *Beatitudine* seu *Requie* illa frui; ac tum solum *Caro* rediviva in *Beatitudinis* illius consortium recipietur. Propterea *Tractatum* illum hisce verbis concludit *Hilarius*: *Per hæc igitur est habitatio in Tabernaculo, per hæc Requies in Monte*. Addit elaborandum esse, ut *acquisita hac in viaticum aeternitatis opulentia, & habitantes in Ecclesia, Tandem IN GLORIA corporis Christi QUIESCAMUS*. Cur vero *Iustos* tanta *Felicitas* post mortem maneat, idem *Hilarius* edisserit *Tractat*, in Psalm. cxix. num. 1, ubi de tribulationibus *Christiano* non timendis agit. *Apostolus*, inquit, *Dissolvi & cum Christo esse, sibi melius restatur &c. Quid (Contra hæc fidei nostræ proposito firmato) loci adversus nos, Seculo relinquetur, quam CHRISTI CONSORTIUM MORS ACQUIRAT?* Nihil aliud *Consortium* est, nisi *Societas*, nisi in eo *Loco* præsens esse, ubi *Christus* est. Ubi vero nunc sit *Christus*, quis *Christianorum* ignorat? ille in *Gloria*. Ergo *Iusti* quoque in *Gloria*, quia in *Gloria Corporis Christi*, ut pote sua membra, *quiescunt*, & *Christi* contubernium *Mors nobis acquirit*. Quare, qui jam præcessere, cum *Christo* sunt, ejus *Vultu* fruuntur, *vultu* utique *Beatifico*. Quid igitur ultra opus est; ut *Sanctorum* *Beatitudinem* in *Cælo* intelligas? Nonne ubi *Christus*, ibi & *Paradisus*? In *cruce* positus hoc ipse nos docuit. Quæ quum ajo, in evidentem plane transeunt *lucem* quoties ejusdem *Hilarii* sententiam de *Martyrum* *Animabus* intentis oculis colligamus. *Tractat*, in Psalm. lxxxviii. num. 10. *Si quando*, ait, *injuste* *mortis* *vis* *asseratur*, *excedentem* *habnaculo* *Corporis* *ANIMAM* *sciat* *IN DEI SUSCEPTIONE REQUIESCERE*. Cavillaretur ad ista, ut *puto*, *Barnetus* *aliquis*, *Susceptionem* *tantummodo* *audiens*, & nihil nisi *Requiescere* *inveniens*. Verum quid sit *Requiescere*, jam ostendi-